



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 63. Quesnelli querelæ contra Joannem Claudium Pictaviensem
Episcopum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVII.
A. C. 1716.

„Id porro, ut juxta datam tibi a Domi-
no Sapienciam alacrius exequi valeas,
„scire Te volumus, quæcunque in ea-
dem Ordinatione sive sanctæ Dei Ec-
clesiæ, sive Apostolicæ Sedis rationi-
bus quovis modo officiant, seu officere
possunt, per se manifesto irrita & ina-
nia esse, nulliusque roboris ab initio
fuisse, ac perpetuo fore, prout Nos
illa, quatenus opus sit, cum omnibus
inde secutis & quândocunque secuto-
ris auctoritate Apostolica tenore præ-
sentium declarâmus.,

§. LXIII.

*Quesnelli querelæ contra Joannem
Claudium Pictaviensem
Episcopum.*

*Lettre du
P. Quesnell.
a l'Éveque
de Poitiers.
Prop. damn.
LXXIX.
LXXX.
& seqq.*

Hoc item anno die decima nona Ja-
nuarii Joannes Claudius Pictaviensis
Episcopus mandatum Pastorale edidit,
in quo contra P. Quesnellum, quem
Novatorem nominabat, ejusque propo-
sitiones damnatas de promiscua lectio-
ne S. Scripturæ suo Clero & communi
gregi interdixit, vetuitque, ne hæc
propositiones per Constitutionem Uni-
genitus proscripctas innovarent, eoquod
ad evertendam fidelium submissionem
erga legitimæ potestatis auctoritatem
hac in re debitam colliment, & hære-
ticorum

ticorum suo privato Spiritui confiden- Sæc. XVIII.
 tium erroribus faveant. Addidit idem A. C. 1716.
 Episcopus in suo mandato, quod S. Scripturæ
 lectio omnibus utriusque se-
 xus fidelibus sit utilissima, si recti illius
 usus capaces & ad suorum Pastorum
 consilia dociles sint, & S. Scripturam
 cum desiderio proficiendi in spiritu hu-
 militatis, ac dependenter a legitimo-
 rum Superiorum iudicio legant. Hor-
 tabatur quidem fideles ad hanc S. Le-
 ctionem, improbavit tamen circa hoc
 argumentum Quesnelli doctrinam,
 cujus expressiones duo Concionatores
 in suis sermonibus imitabantur, scili-
 cet, quod omni Personarum generi
 (nequidem excipiendo rudes, in fide
 titubantes &c.) studere mysteria S. Scri-
 pturæ, promiscue utile ac necessarium
 sit, & quod illius lectionem in quibus-
 dam circumstantiis interdicere, Legi-
 timis superioribus non competat. Hanc Vid. supra
 in rem Episcopus attulit, verba S. Pe- t. 60. l. 216.
 tri in Epist. II. cap 3 v. 16. & S. Hie- pag. 607.
 ronymi Dialogo I. contra Pelag.

Quamprimum Quesnellus hoc Epi-
 scopi mandatum palam in Ecclesia pro-
 mulgatum compererat, mox graviter,
 atque injuste se læsum arbitratus, die
 duodecima Martii peracres literas ad
 præfatum hunc Episcopum dedit, in
 quibus se tanquam *Novatorem* traduci
 que-

Sæc. XVIII. questus, hac agendi ratione suam XCIII.
 A. C. 1716. Propositionem verificari dixit, scilicet,
 quod *Pervicacia, præventio, obstinatio* eius,
 qui aliquid examinare, aut se fuisse deceptum
 agnoscere non vult, mutant quotidie quosdam
 multos in odorem mortis id, quod Deus in
 Ecclesia sua posuit, ut in ea esset odor vitæ
 &c. Postea cum eodem Episcopo ex-
 postulabat, quod ipsum accusaret,
 perinde ac si submissionem Pastoribus le-
 gitimis debitam ex fidelium cordibus
 eliminare intendisset, cum tamen suas
 reflexiones Pastorum seu Episcoporum
 iudicio submiserit, & Noailii ac Via-
 larti tam celebrium Episcoporum, quos
 etiam indirecte accusare de eliminanda
 debita submissione nefas foret, approba-
 tionem retulerit. Cum autem Ques-
 nellus probe prospiceret, sibi opponi
 posse, quod Noailius suam approba-
 tionem revocaverit, reposuit, id Noail-
 lium fecisse tempore concitati motus,
 & quidem perperam, cum potius sequi
 debuisset exemplum Patrum Concilii
 XIV. & XV. Toletani, qui contra Be-
 nedicti II. Papæ, suorumque Theolo-
 gorum censuram S. Juliani Archiepi-
 scopi Toletani librum propugnarunt,
 dicentes: *Nos non erravimus, sed illi,
 qui librum nostrum minus sedulo pervolv-
 tes decepti fuerunt.* Quod autem ipse
 met eos, qui S. Scripturas legunt, de
 dispo-

dispositionibus ab Ecclesia requisitis Sæc. XVIII.
 monuerit, probabat ex Præfatione sua A. C. 1716.
 ad Tom. Part. XXIV. & XXV. ubi ait:
ad Dei lumen & Ecclesie auctoritatem pro
vera S. Scripturæ intelligentia recurrendum
esse & Pag. 21. talis lectio fieri debeat
cum reverentia, docilitate, humilitate, sub-
missione & simplicitate fidei non
sicut hæretici, qui dum ex seipsis & in-
dependentem a traditione & Ecclesie iudicio
S. Scripturam interpretari aggressi sunt,
eam in sensu falso & S. Spiritui contrario
interpretati sunt. Hanc in rem plura
 adhuc loca ex suis Reflexionibus pro-
 tulit, indeque intulit, quod hic Epi-
 scopus nunquam hunc reflexionum li-
 brum viderit, aut nonnisi suorum ho-
 stium oculis inspexerit, aut quod ipsum
 injuste accusarit, perinde ac si disposi-
 tiones ad utilem S. Scripturæ lectionem
 ab Ecclesia requisitas omisisset. Dein
 Episcopum redarguit, quod a vero
 sensu Propositionis LXXIX. aberrave-
 rit, cum ipse eam his verbis reddide-
 rit, *utilis & cujuslibet status & conditio-*
nis Personis, id est sine exceptione eorum,
qui idiotæ, leves & in fide fluctuantes sunt,
necessaria est promiscua lectio S. Scripturæ,
 ipse vero (Quesnellus) duntaxat dixe-
 rit: *omni tempore, & loco, & omnis ge-*
neris Personis utile & necessarium est stu-
dere. (S. Scripturæ) & illius cognoscere
Spiri-

Sæc. XVIII. *Spiritum, pietatem & Myſteria:* in hoc loco opposuit Episcopo Quesnellus, non esse locutum de lectione S. Scripturæ, sed de dono linguarum, quod juxta Apostolum 1. Cor. 14. v. 5. proponendum dixerit dono Prophetiæ, seu quod Prophetiæ donum seu donum per Verbum instruendi & ædificandi fideles, sit præferendum cognitioni linguarum Orientalium & criticæ circa librum S. Scripturæ: de hoc dono Prophetiæ se affirmasse aiebat, quod sit utile & necessarium in omni tempore & loco omnique Personarum generi, non autem ita necessarium sit Scripturas legere & criticum illius studium facere, sed potius illius cognoscere spiritum, pietatem & myſteria.

Denique suam epistolam concludit, asserendo, quod quamvis nonnulli eius verbis impios, hæreticos & blasphemos sensus affingant, propterea impius nec blasphemus, nec hæreticus nec impius esse poterit: Hanc in rem allegavit hæc D. Augustini verba (*) *intendite ergo vos, alioquin male intelligendo projicitis vos in illam voraginem tenebrarum, in qua sunt omnes opere peccandi: & ego liber sum, sicut et Apostolus ab omnibus male intelligentibus liber fuit.*

(*) In Psal. 31. Enarr. 2. n. 8.

Pariter Quesnellus, postquam in sua caussa Parisiis Præsulum Gallicano-
 rum conventum celebrari compererat, die decima Decembris literas ad Cardinalem Rohanium dedit, in quibus Reflexionum libro errores horrendos imputari, suisque propositionibus sensum ab obvia terminorum significatione, & a sermonis contextu alienum attribui questus, vel per Theologos a partium studio alienos, vel per seipsum audiri, suasque explicationes discuti petiit.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1716.

§. LXIV.

Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis contra quasdam Propositiones ex Magistri Le Roux scriptis excerptas.

Jam die decima quarta Januarii Rhemensis Facultas ex Magistri Le Roux scriptis quasdam circa attritionem Propositiones decerpserat, & Censuris notaverat: Eapropter Ravechetus Parisiensis Facultatis Syndicus, ut suam in hunc Magistrum vindictam exereret, ea ex caussa Facultatem certiozem reddidit, ut simul Rhemensi Archiepiscopo acriorem inferret molestiam: Die igitur decima sexta Julii S. Facultas sequens edidit decretum, die vigesima

*Argentre
 Coll. Jud.
 t. 3. p. 169.
 Vid. supra
 pag. 200.*